



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

LXIV. Si sponsalia inter aliquos sint contracta, & alter ante carnis commixtionem lepram incurrerit, non est alter ad consummandam maritalem copulam cogendus. Si mulier consortium viri propter ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

cultatem, cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier soluitur a lege viri. Vtrum autem pater minores filios, * quo magis voluerit, valeat sepelire, * ubi non inuenimus a sanctis patribus diffinitum, & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum.

C A P. LXIV. *Idem Marimondensi abbati.*

Inter cetera quæ a nobis sunt pro tuo ministerio requisita, illud quoque nuntii sollicitudo non tacuit, quod quidam monachus tuus, cum esset olim in sæculo constitutus, presbyteratus officium, prætermisso diaconatu, suscepit: super quo tua postulat deuotio dispensari. Intelleximus autem quod ille non malitia, sed pia, vt sibi videbatur, cautela præmonitus, ordinem diaconii quem se accepisse simulat, omisit, ne, sicut eum quidam auunculus eius instigabat, de manu schismatici fortiretur. Vnde quia de his nihil nobis constare potuit, examinationem facti huius tuæ duximus conscientia relinquendam, auctoritate apostolica mandantes, vt si absque dubitatione constiterit, quod ille non ex superbia, sed vt schismatici manus euaderet, & indignationis auunculi sui aculeos declinaret, tali simulatione sit vsus, competenti tempore ordinem facias ei diaconatus impendi, & sic post aliquanti temporis abstinentiam, quam tuæ committimus discretioni, dumtaxat corde contrito & humiliato spiritu, in beneficio sacerdotalis ordinis poterit exerceri.

C A P. XLV.

*Idem archiepiscopo Turonensi, Andegauensi episcopo,
& abbati Salmurensi.*

Ad audientiam nostram, venerabili fratre nostro Cenomanensi episcopo intimante, peruenit, quod dilectus filius noster Vu. archidiaconus eius, de morte cuiusdam mulieris, quæ per officiales ipsius archidiaconi interfecta proponitur, non aliter quam si ipse occiderit, infamatur. Ceterum quia idem archidiaconus ab huiusmodi reatu se asserit esse innocentem, nos prouidere volentes, ne infamia polluat, quem non fecit nocentem: discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus per episcopatum Cenomanensem & ciuitatem facias publi-